



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Sectio VI. Vtrùm sit proptia Christi gratia capitis? art. 6.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom. q.  
8. a. 5. et 6.

§. 16. P. Valentia quæst. 8. punct. 3. §. Nunc quod ad istam; & P. Suarez disp. 42. sect. 1. §. Dico tamen primò, absolūtè docent Christum angelis meruisse gratiam & gloriam. nunc autem ea opinio non est necessaria ad defendendam rationem capitis Christi comparatione angelorum. Nam Christus est illorum caput: Primò, quia est ipsorum dominus, cuius ipsi sunt hereditas, vt ex Paulo ostendi disp. 47. Secundò, quia illos dirigit, & eis vitur administris. Tertid, quia in illos influit illustrationes mentis, & accidentaria voluntatis gaudia.

§. 17. Dices, ab Augustino requiri, vt vitis & palmites sint eiusdem naturæ. Respondeo, potuisse Christum vt hominem esse caput angelorum etiam in gratia sanctificante: vnitas enim naturæ sufficit in gradu rationali creato, in quo potuit Christus mereri; non tamen increato: natura enim diuina non meretur suis actibus: quia non habet superiorè. quod patet ex eodem Augustino to. 9. tract. 80. in Ioan. Quod verò tract. 81. ait nos non fore palmites, nisi Deus factus fuisset homo; intellige de facto, quia non nisi per Deum-hominem decreuit nos redimere, cum posset per Deum-angelum.

### SECTIO V.

*Vtrum gratia capitis, & personalis sit eadem in Christo? Art. 5.*

§. 18. **G**ratia personalis est bipartita: altera est gratia constituens vnā personam humanam atque diuinam ex deitate, supposito Verbi, & humanitate. Altera est gratia habitualis, qua hæc persona Christus vt homo sanctificatur eo genere. in hoc sensu eam accipit S. Thomas art. 5. ego in vtroque.

§. 19. Dico: Gratia personalis in vtroq; sensu est gratia capitis: nec vt personalis, & capitalis distinguuntur nisi per extrinseca connotata. personalis enim est per solam physicam vnionem; capitalis autem per extrinsecam denominationem à pacto Dei constituentis Christum caput nostrum, & eius merita acceptantis ad nostram gratiam & gloriam. At verò dignitas meritorum est ab eadem gratia, qua humanitas Christi sanctificatur substantialiter, & assumitur ad constitutionem personæ Christi, vt est humana.

§. 20. Quod etiam latè probaui disp. 47. neque enim hic valor aliunde potuit oriri. quæ est communis opinio Theologorum & interpretum, quos adduxi disp. 47. exponentium illud Ioan. 1. 16. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.* Prædixerat enim Ioannes v. 14. Christum esse plenum gratiæ: quod Doctores explicant de gratia vnionis. subiungit autem Euangelista, nos de ea plenitudine accepisse gratiam, id est, de gratia substantiali Christi, qua est plenus, & filius naturalis. Auctor libri apud August. tom. 4. libr. 2. de Incarnat. Verbi ad finem expressè docet Christum repletum esse diuinitate vt vnguento, & ea fuisse ignitum, ex quo ortus est odor aliquis, & calor gratiæ adoptionis in Sanctos. Legatur liber ille, qui manifestè facit Christum auctorem nostræ gratiæ propter gratiam vnionis. S. Thomas art. 8. hæc ait: Cuius humanitas ex hoc, quod est diuinitati coniuncta, habet virtutem iustificandi.

§. 21. Qui verò dicunt gratiam habitualemente requiri ad meritum, non loquerentur ad dignitatem; sed ad efficientiam: apertè enim contradicerent Adriano Iasserenti non fuisse necessariam Christo gratiam adoptionis ad eam nobis impetrandam. Dici autem potest gratia habitualis gratia capitis, non ex qua sumptus sit valor, sed per quam producat opus meritorium. Quod opus habet causam efficientem, quæ est caput instructum habitibus supernaturalibus, qui dimanant à gratia: habet item valorem, qui oritur à gratia vnionis, quæ propter dignitatem vocatur absolūtè gratia capitis: habitualis autem potest vocari subseruiens gratiæ capitis, vt P. Valquez obseruat.

### SECTIO VI.

*Vtrum sit propria Christi gratia capitis?*

Art. 6.

#### SUBSECTIO I.

*Quæ sint certæ?*

§. 22. **C**ertum est solum Christum esse caput Ecclesiæ: quia ille solus condignè meretur gratiam omnibus alijs creaturis intellectualibus: Maria verò est causa instrumentalis moralis congruè impetrans gratiam omnibus electis tam angelis, quam hominibus. Hoc autem non est satis ad rationem capitis; quod est causa particularis propria virtute spirituum animalium, quos influit in membra. Dicitur autem Maria *collum* Ecclesiæ: quia per illud traiecit caput spiritus in alia membra, quos spiritus non efficit collum. In extrinseca autem administratione Papa est caput Ecclesiæ.

§. 23. Secundò est certum, nullam creaturam puram posse ex natura rei alij condignè gratiam mereri. Rationem reddidi disp. 28. à §. 58. Quia iustus actibus bonis exercet amicitiam cum Deo: Deus autem in præmium amicitiam item exercet cum iusto. Hoc autem exercitium petit in primis incrementum amicitiae eiusdem, & vt Deus primum prouideat bonum suo amico, communicationem maiorem in bonis, quam alij personæ distinctæ. Item omnes dirigitur in patriam: charitas autem petit, vt quis in spiritualibus sibi prouideat primum. At hoc augmentum amicitiae, & visionis illi debita, est totum præmium condignum operum istorum: ergo præter illud non merentur aliorum incrementa condignè: Christus autem non potuit sanctitate augeri: ob quod potuit nobis ex natura rei condignè mereri; creatura autem capax incrementi gratiæ, potest.

§. 24. Obijcies Primò: Beati non merentur sibi: ergo possunt mereri nobis. Distinguo consequens: de potentia absoluta, transeat consequens: de ordinaria, nego consequentiam: quia ad omnem meritum condignum gratiæ, est in termino; & non in via: posse autem diuinitus beatum sibi mereri augmentum gratiæ & gloriæ infallibiliter assequendum, dixi disputans de merito. quod confirmatur exemplo Christi beati.

§. 25. Obijcies Secundò: Gratia potest esse infi-

nité intensa, & componi ex tota intensione possibile: ergo ille iustus poterit alijs condignè gratiam impetrare. Probatur consequentia: quia ille non potest iam sibi mereri incrementum gratiæ: distinguo antecedens: potest de lege communi, nego antecedens; de absoluta, concedo. Idem respondeo ad consequentiam, & eius probationem.

## SVBSECTIO II.

*Qui negent posse creaturam puram alijs gratiam condignè mereri?*

§. 26. **D**ixi disp. 10. nullam puram creaturam posse alijs condignè mereri remissionem peccati mortalis: quia nulla actio puræ creaturæ tanti æstimatur à Deo, quanti gravitas peccati mortalis. Quam sententiã eruditissimè, vt assolet, probat P. Vasquez disp. 4 c. 3. Ratio est, quia meritum condignum exigit, vt offeratur aliquid in æstimatione prudenti dignum, vt fiat tanti, quanti præmium: sed opus puræ creaturæ non fit in æstimatione prudenti tanti, quanti remissio peccati: ergo. Probatur Minor: quia remissio peccati æstimatur tanti, quanti peccatum ipsum: sicut condonatio aurei tanti æstimatur, quanti aureus ipse in suo genere: sed peccatum propter infinitudinem æstimatur infinitè: ergo.

§. 27. P. Vasquez ea disp. 4. cap. 5. docet puram creaturam non posse alijs condignè mereri auxilia gratiæ, nec gratiam iustificantem: quem recentiores nonnulli sequuntur. Mouentur Primò: quia per gratiam adoptionis nullus potest alijs condignè mereri. hæc enim gratia id non habet ex natura sua: re enim ipsa nullus meretur alijs: quia hæc gratia ordinatur ad meritum propriæ personæ, non alienæ. Argumentum imbelles ad debellandam omnipotentiam Dei. Posset enim responderi, non repugnare de potentia absoluta aliam gratiam adoptionis perfectiorem hac nostra; quæ ex natura sua referretur ad merendum alijs: quia illa gratia esset incapax intensiõis: ob quod non posset iustus sibi mereri incrementum; posset autem aliam similem alij carenti peccato mereri. A nostra autem gratia ad illam possibilem leue duceretur argumentum. Cum quæ hinc de potentia absoluta sit sermo, expediret ostendere repugnare aliam gratiam specie distinctam à nostra; vel omnes possibilem percurrere. Imò dici posset non repugnare gratiam, cui connaturalius sit impetrare gratiam alijs personis, quàm propriæ, vt contingit gratiæ vniõnis. ex gr. ponamus gratiam infinitè intensam tota intensiõne possibile: opera ab hac gratia connaturalius augerent aliam, quàm suam: siquidem hæc non posset augeri absolutè; illa autem posset. Ponamus item gratiam identificatam cum lumine gloriæ, vel quæ illud petat ex natura sua, exclusa fide: illa gratia redderet actu hominem beatum, qui quia esset in termino, nihil sibi mereretur: cur autem non posset à Deo assumi vt alijs mereretur gratiam?

§. 28. Secundò, impugno argumentum: gratia vniõnis Christi potuit diuinitus referri ad condignè merendam gratiam habitualem ipsi Christo: sicut relata est ad merendam gloriam corporis; & tamen re ipsa non ordinatur ad meritum gratiæ.

*Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. parti I.*

Item, Christus potuit produci corpore glorioso: s. Thom. & tunc eius gratia non referretur ad merendam gloriam corporis. Potuit autem Deus expectare opera Christi, & propter illa illi conferre gratiam: item & non expectare ad conferendam gloriam corporis: ergo ex eo quod re ipsa gratia ordinatur, vel non ordinatur ad aliquod præmium, non rectè inferitur repugnare eam ad aliud ordinari, aut non ordinari. Adhuc autè non aliunde arguitur, quàm ex factò. Confirmatur. Potuit Deus nullius hominis iusti precibus moueri ad conferenda alijs beneficia, anne tunc rectè argumentaretis repugnare huic gratiæ impetrationem?

§. 29. Tertio, ostenditur idem argumenti vitium: quia peccatum Petri non ordinatur de facto, & ex natura rei ad maculandos ceteros homines, nec Petrus constituitur caput illorum: potuit autem Deus eum constituere caput comparatione illius actus, vt constituit Adamum: ergo idem potuit contingere huic gratiæ. Vel retorqueo argumentum: peccatum, quod post susceptos liberos potuit suscipere Adamus, est eiusdem speciei cum peccato, quod commisit: sed per secundum peccatum non potuit maculare homines: quia de facto eos non macularet, tamen peccaret: ergo nec per primum potuit. En formam tui argumenti. Quod adducitur de Virgine est abs re: quia Deus soli Christo id contulit dignitatis, vt soli Adamo contulit munus capitis. Nec Maria potuit ex lege communi esse caput ratione reddita §. 21.

§. 30. Secundò mouentur: quia gratia capitis debet continere eminenter gratiam membrorum: sed gratia puræ creaturæ non continet gratiam aliarum: ergo. Probant Minorem Primò: quia gratia creaturæ est gratia membri: omnes enim iusti sunt membra Christi. Secundò, quia nullus homo continet physicè gratiam: sicut Adam continuit physicè alios homines.

§. 31. Aduerte, gratiam capitis, aut membri, esse extrinsecam denominationem à voluntate Dei: neque gratiam vllam esse ex suo conceptu gratiam capitis, aut membri: sumitur enim allegoria ex corpore humano: nostra gratia vocatur membri, quia illam accipimus per influxum morale meritorum Christi. quæ si nobis daretur sine Christo, non essemus hoc modo membra Christi: sicut per te non fuit Adam in statu innocentie; neque nunc sunt angeli: at omnino extrinsecum est nostræ gratiæ nobis donari in præmium meritorum Christi. Similiter gratia vniõnis Christi, prout vnita humanitati, potuit esse gratia membri. Demus enim Patrem incarnatum per bona opera in natura assumpta impetrasse à Deo huic humanitati Christi vniõnem ad Verbum: Christus vt homo esset membrum Patris vt hominis: quia humanitas Christi accepisset gratiam substantialem per influxum morale meritorum humanitatis paternæ. Quare qui negant gratiam habitualement esse posse principium merendi alijs: quia non est gratia capitis; pro ratione reddunt conclusionem: quia idem est formaliter esse gratiam capitis, & esse principium alijs merendi: est enim eadem res eodem modo concepta, explicata tamen vocibus proprijs aut allegoricis. Et quando dicunt non posse esse gratiam capitis; quia est gratia membri; rogandi sunt, cur non possit desinere esse gratia membri, & possit

ff est

s. Thom.  
2. 2. art. 6.

esse gratia capitis? cum hæ sint extrinsecæ denominationes & liberæ.

§. 32. Ad argumentum ex §. 28. distinguo Minorem: non continet eminenter moraliter quoad sufficientiam in actu primo, nego Minorem: concedo autem non continere proximè propter defectum voluntatis Dei acceptantis opera. Ostendi autem disp. 11. §. 6. pactum solum requiri ad vim obligandi Deum, sine qua obligatione non est meritum completè in actu secundo. Ad primam probationem, respondeo membra physica non posse esse caput corporis, nec caput membra: quia constituuntur per physicas qualitates; in brutis autem etiam per partes speciei distinctas: vnde sine mutatione physica situs, figuræ & qualitatum non possunt exuere conceptus capitis aut membri: at verò caput, & membrum morale constituuntur per extrinsecam denominationem à voluntate Dei dantis vnam gratiam in præmium illius.

§. 33. Ad secundam probationem, aduerte posse quæstionem institui, vtrum possit constitui aliquis caput aliorum: ita vt per bona opera alij etiam sint boni bonitate operationis, sicut per peccatum Adami (in aliquorum opinione probabili) constituimur mali, & filij iræ; quod spectat ad materiam de peccato originali. nunc tamen do argumenti partem negantem; inficior tamen, propterea non posse aliquem condignè alijs impetrare gratiam: etenim opera Christi nos formaliter non reddunt bonos. Tantùm ergo requiritur æqualitas operis cum præmio, & voluntas Dei acceptantis. Aliunde ergo repugnantia petatur.

§. 34. Tertium argumentum sumitur ex Adriano I. epist. ad Episcopos Hispaniæ, vbi Pontifex ait Christum non impetraturum nobis gratiam adoptionis, si ipse ea egeret. Aduerte, Pontificem dixisse nobis, qui peccatum habemus, & per gratiam adoptionis erat detergendum: at nostræ quæstionis casus non est in nobis ortus in peccato, sed in alio statim absque peccato, cuius nec meminit Pontifex, nec illi opus erat ad confirmandam Christi diuinitatem, quæ abunde monstratur ex condigna impetratione gratiæ iustificantis impios. Nec item videtur locutus de potentia absoluta; sed de ordinaria: non enim dixit, non posset, sed, non tribueret.

§. 35. Quartum argumentum: Homo purus non potest condignè mereri alijs remissionem peccati mortalis: ergo neque infusionem gratiæ, quæ ex se est remissiuua peccati. Nego consequentiam: quia maius est impetrare gratiam inimico, quàm augmentum amico, aut saltem non inimico: ex eo autem quod negetur maius, non sequitur negandum minus. Aduerte, nos non mereri gratiam abstractè, sed vt infundendam nobis, aut alijs: quando autem infunditur in peccatorem, habet annexam voluntatem remittendi peccatum; secus verò, quando infunditur non in peccatorem. Quia ergo peccatum alterius plus displicet Deo, & eius voluntatem auertit, quàm opera hominis iusti placent; ideo peccatum alterius resistit meritis huius.

§. 36. Tandem argumentantur: quia non repugnat aliqua gratia, quæ non possit alijs esse principium merendi; cur non dicemus eam esse hanc? quid inde? cur autem non dicemus non repugnare adoptionem, quæ sit principium merendi alijs, tamen non sit hæc? Deinde antecedens est falsum: quia nulla potest esse gratia adoptionis, quæ cum

opere supernaturali non habeat condignitatem ad impetrandam alijs tantam gratiam, quantum sibi ipsi impetrare posset. Cui condignitati accedere posset contentio inter Deum, & creaturas.

### SUBSECTIO III.

#### Pars affirmatiua concluditur.

§. 37. **D**om. Soto in 4. dist. 1. q. 5. art. 4. ante medium ait potuisse puram creaturam tanta à Deo gratia donari, vt condignè mereretur alijs remissionem peccatorum. Consentit P. Suarez disp. 4. sect. 7. §. Dico iam primò; pro qua ibi nonnullos adducit auctores. Consentient necessariò Scotus, & alij auctores adducti disp. 11. §. 4. opinantes merita pendere ab acceptance Dei: & quemadmodum acceptauit opera Christi, fecitque condigna; potuit itidem acceptare bona opera cuiuscumque alterius creaturæ. His omnibus auctoribus dissentior in satisfactione condigna vnus puræ creaturæ pro peccato mortali alterius; assentior autem in condigna impetratione gratiæ homini non existenti in peccato mortali. Videtur alicui colligi ex B. Anselmo lib. 1. *Cur Deus homo* cap. 5. negante æqualem redemptionem hominum per creaturam: quia esset homo seruus alterius creaturæ. vbi non negauit condignitatem operum. Verùm Anselmus tunc omisit controuersiam de operum condignitate, reddiditque rationem aliam: at verò à cap. 20. & lib. 2. cap. 14. aperte probat, non potuisse ad æqualitatem satis pro peccato fieri, nisi à persona diuina: ait enim cap. 23. *Nullatenus ergo debet aut potest accipere homo à Deo, quod Deus illi dare proposuit, si non reddat Deo totum, quod illi abstulit.*

§. 38. Probatur conclusio Primò in casu, quo Deus nollit Petro augere gratiam per bona ipsius opera, sed vt illa offerret pro Paulo: tunc illa opera habent ex se æqualem condignitatem cum nono gradu gratiæ, v. gr. conferendo ipsi Petro: ergo & conferendo Paulo. Probo consequentiam: quia gratia conferenda Paulo non est perfectior, quàm gratia conferenda Petro; neque vnio alterius plurius æstimatur, quàm vnio vnio: nam augmentum gratiæ Petri est moraliter æquale meritis Petri: sed augmentum gratiæ Pauli est æquale augmento gratiæ Petri: ergo augmentum gratiæ Pauli, & meritum Petri sunt moraliter æqualia: nec quòd conferatur alij, adeò moraliter crescit, vt non possit operis intentione rependi.

§. 39. Dices Primò, repugnantiam oriri, quia gratia habitualis est particularis, quæ non habet vim vniuersalem sanctificandi. Bene: ego solum contendo, posse impetrari à Petro soli Paulo vnum solum gradum gratiæ intensum vt octo, vel vt nouem: qui gradus condignè esset conferendus ipsi Petro. in quo quæ, oblecto te, cernitur vniuersalitas?

§. 40. Dices Secundò, gratiam habitualemente fermen gloriæ, cuius actio est in persona illam habente, non verò in alia. Hæc solutio non illud terminus: nam & gratia vniouis est fermen gloriæ. Et enim quia illi debetur gloria, dicitur per metaphoram fermen gloriæ. Item peccatum est fermen damnationis æternæ: & tamen & gratia vniouis, & peccatum possunt alijs esse principium aut ratio bene

bene aut malè merendi. Huic autem quid officit semen? quod in communiore sententia actionem exercet formandi factum non in propria, sed in distincta persona: cui saltem hoc non repugnat.

§. 41. Dices Tertio, gratiam habitualement ordinari ex sua natura ad solam perfectionem propriæ personæ; non verò distinctæ. Egregia petitio principij: id enim reuocatur in controuersiam: nam & gratia vnionis ordinatur ad perfectam humanitatem, quam vnit Verbo, & peccatum Adami ad illum maculandum; & tamen Christus & Adamus nobis meruerunt.

§. 42. Secundum argumentum sumitur ex gratia vnionis, quæ potest alijs condignè impetrare gratiam: ergo. Dices Primo, gratiam vnionis esse infinitam, & capropter sanctificare formaliter personam, cuius est, & efficienter alias. Contrà: Id probat gratiam adoptionis non posse impetrare alijs nisi determinatos gradus gratiæ, sicut nec sibi; non verò probat non posse impetrare aliquem. Demus enim gratiam Petri fore infinitam. Rectè ergo seruaretur discrimen gratiæ finitæ & infinitæ: sicut seruatur in sanctificatione propriæ personæ, & merito augmenti gratiæ in eadem, quod habet pura creatura.

§. 43. Dices Secundo, gratiam vnionis ita sanctificare Christum, vt non possit esse sanctior per aliam. Quamobrem referri non potest ad sanctitatem ipsius Christi augendam: gratia verò habitualement adhuc relinquit hominem aptum maiori sanctitati. Contrà: Christus non potest esse sanctior intensiue; at diuinitus potuit sibi mereri gratiam habitualement, & eius augmentum; & tamen simul potuit nobis mereri: ergo & potuit pura creatura mereri alijs gratiam, quam sibi poterat mereri. Eam verò fieri quotidie sanctiorem simpliciter quid refert? Demus enim fieri posse, vt Petrus impetret Paulo gratiam, adhuc retineretur discrimen gratiæ potentis simpliciter augeti, & impotentis. vel demus Deum velle hominem beatum mereri per opera, quæ non augerent proprium habitum gratiæ, vel Petrum habere omnem intensionem possibilem gratiæ; tunc cur non posset mereri alijs per gratiam adoptionis?

§. 44. Dices Tertio, gratiam vnionis physicè continere omnes homines, ac posse constituere Christum illorum caput, secus gratiam habitualement. Contrà: Peccatum Adæ, neque eius voluntas, non continet physicè animas aut voluntates posterorum; sed tantum continet in lumbis supposita posterorum per vnionem, ratione cuius potuit esse illorum caput: ergo etiam in bonum potuit esse caput: quia licet non contineat gratiam supernaturalem, neque rationem bene operandi; sicut non continuit in naturalibus: at continet supposita, quæ dicuntur grata; sicut continet supposita, quæ dicuntur ingrata.

§. 45. Tertium argumentum ex peccato originali, quod condignè meruit innumera mala toti humano generi. Solutiones adhibetæ impugnatæ sunt sect. I. Dices, malum potentius esse ad inferendum malum, quam bonum ad bonum. Fateor: quia nostra mala plus displicent Deo, quam placent bona; tamen habent nostra bona suam condignitatem ad bonum, vt ad vitam æternam: quemadmodum mala ad damnationem. Vnde positus omnibus requisitis ad bonum (quæ sunt plura quam ad

*Pei. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.*

malum) sufficientem habet virtutem ad effectus, s. Thom. 2. qui non superant eius bonitatem. Quid autem requiritur ad meritum actuale condignum, & quo discriminatur ab impetratione, ostendi disputans de merito.

SVBSECTIO IV.

*Quadam difficultas.*

§. 46. **O** Biji potest, totam hanc doctrinam opponi doctrinæ ex §. 24. vbi dixi nullum posse alij mereri remissionem peccati. Sic argumentor: Infusionem gratiæ potest aliquis alijs mereri, si non sint in peccato mortali: ergo et si existant. Probo consequentiam: quia remissio peccati est effectus formalis secundarius gratiæ, qui non æstimatur pluris, quam primarius: aut certè si secundarius tanti æstimatur, non poterit iustus mereri primarium.

§. 47. Animum aduerte, collationem gratiæ, & effectus formalis primarij, diuersa ratione æstimari, quando est expulsura peccatum, ac quando non est. Quia quando est expulsura, est beneficium maius propter malum quo nos liberat: sunt enim tunc duo beneficia: alterum, est ipsa qualitas gratiæ; alterum, ereptio à peccato. Quod est tam per se notum, vt vix queat clariùs exponi. Pone hominem in pura natura; pone alium cum corruptela peccati: hic est in ærumna portendenti, quod est peccatum; ille est sine ærumna. donet Deus gratiam vtrique; vterque est amicus Dei: at qui in peccato erat, solutus est prioribus illis ærumnis; qui in pura natura, nequaquam. Nonne plura beneficia accepit eadem infusione gratiæ, qui erutus è potestate diaboli factus est filius Dei, quam qui filiationem accepit solam sine ea libertate à peccato?

§. 48. Porridge potum aquæ homini non sitienti: porridge potum eundem homini siti iam perituro; potus idem est, nec in se plures emeretur: at circumstantia extinguendæ sitis efficit, vt tanti æstimetur, quanti vita. Pone aquam vendi, nec esse nisi potum vnum; velint eam emere duo, alter non egens, alter siti periturus: venditor autem nolit eam alterutri dare nisi centum aureis; eos non dabit, qui non eget; dabit, qui eget: quia circumstantia imminentis mortis auget valorem aquæ. en quæ ob primarium effectum nihil valet, valet centum aureos ob circumstantiam effectus secundarij, quæ est sitis depulsi; eis autem qui exiguis, & nullius momenti rebus nos eripiunt ab imminente morte, dicimus debere vitam.

§. 49. Ad argumentum ex §. 46. nego consequentiam. Ad probationem, effectus formalis primarius si annuntiet secundarium, pluris æstimatur in ea circumstantia, quam in alijs, vt dixi §. 47. & 48. Item si mihi daretur optio, vt infunderetur mihi gratia sine remissione peccati, aut remitteretur peccatum sine infusione gratiæ; eligerem remissionem peccati: quia non essem iam Dei inimicus; in altero autem euentu adhuc Deum hostem haberem. ergo quando effectus formales secundarij pertinent ad incolumitatem tam spiritualem, quam corporis; pluris æstimantur quam primarij nudi, & in se: vt patet in aqua, cuius formalis effectus primarius est humectare, & infrigidare; depulsi autem sitis est secundarius. Ex parte item Dei est alia ratio:

s. Thom.  
9.9.

tio: quia peccator suo peccato infinite resistit, cuius resistentiam vincere non potest pura creatura: quia plus lacescitur Dei volentes peccato mortali, quam allicitur bonis operibus pure creature.

diabolo estis, & desideria eius percipitis. Vbi explicatur ratio principatus demonum.

§. 51. Antichristus non fuit caput omnium malorum, quantum ad ordinem: quia eius peccatum non fuit primum omnium. neque item quantum ad gubernationem: quia solum reget suos synchronos: at vero quantum ad gravitatem flagitiorum, erit omnium hominum malorum caput, id est, omnium flagitiosissimus. quod comparatione etiam demonum opinatur P. Suarez in Commentario: Caiet. ait futuram in illo plenitudinem diabolicæ malitiæ. De quo dicitur Dan. 11. 36. *Et eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem deum.* Hic poterat disputari, vtrum peccatum Antichristi futurum sit grauius peccato Iudæ, nisi tamdiu aberraretur à proposito scopo huius questionis.

## S E C T I O VII.

*Vtrum demon sit caput malorum; item  
& Antichristus?*

§. 50. **E**st, quantum ad externam gubernationem: quia eos instigat ad malum. Quod patet 12. Apocal. 7. *Draco pugnabat, & angeli eius.* Matth. 9. 34. *In principe demoniorum.* Ioan. 14. 30. *Princeps huius mundi.* Tandem Ioan. 8. 44. *Vos ex patre*

## D I S P U T A T I O LIII.

*Vtrum anima Christi cognoscat & amet per actus  
increatos formaliter?*

s. Thom. quest. 9.

S E C T I O I. *Hugonis opinio.*S E C T I O II. *Non posse ex natura rei esse eam vni-**onem.*S E C T I O III. *Nec de potentia absoluta.*S V B S E C T I O I. *Aliquorum rationes.*S V B S E C T I O II. *Due aliorum rationes.*S V B S E C T I O III. *Discrimen similis veri.*S V B S E C T I O IV. *Ratio à priori.*S E C T I O IV. *Ad argumenta.*

§. 1.



Os intelligimus, & amamus per actus increatos Dei in genere causæ efficientis: quia Deus per suum intellectum & voluntatem efficit cognitiones nostras creatas; quibus formaliter intelligimus. At nulla pura creatura intelligit, aut amat formaliter actibus increatis: quia illis non vnitur immediate & physice: est autem difficultas de anima Christi.

## S E C T I O I.

*Hugonis opinio.*

§. 2. **H**ugo Victorinus in opusculo de Scientia animæ Christi censuit eam de facto esse sapientem sine sapientia creata per solam incretam sapientiam. Ioannes de Ripa, & Ioannes de Neapoli adducuntur pro ea sententia à veteribus: non immerito afferri possunt Apollinaristæ & Monothelitæ, constituentes in anima Christi vnam operationem intellectus, & voluntatis vnam aliam: quam censebant esse diuinam, & non humanam. Hugonis enim fundamentum parum ab illis differt: censet enim omnem sapientiam esse ab æterno: ergo in Christo nulla est sapientia nisi æterna: sed nihil est æternum præter Deum: ergo. Multa congeruntur argumenta pro ea sententia, leuia quidem, & indigna, ob quæ moram faciamus. Nonnulla in progressu recurrent: alia recognosci possunt apud P. Ragusam disp. 82.

§. 3. Existimo non posse cum Catholica fide componi eam sententiam: quia opposita est ab Ecclesia definita in Concilio VI. generali. Quamuis enim eius scopus fuit ostendere in anima Christi actus creatos voluntatis humanæ, quibus Christus

vt homo se semper exercuit: at vt Concilium Patresque probarent eos actus creatos, asseruerunt animam Christi nec exercitam, nec potuisse actibus increatis in genere quasi causæ formalis: itaque factum negauerunt ex negatione potentia. Id constat ex epist. S. Leonis ad Flavianum, quæ est in eodem Concilio act. 17. in confessione fidei: act. autem 4. ad medium hæc asseruntur: *Negue enim poterit angelica natura diuinam habere voluntatem, aut humanam; nec humana natura voluntatem Dei, aut angeli.*

§. 4. Christus autem vt homo dicitur habere eandem voluntatem cum diuina; non quidem eandem formaliter, & subiectiue; sed obiectiue, & per consensum. Quando enim duo idem volunt, dicuntur habere voluntatem vnam: vt fidelibus fuit Ecclesiæ exordium cor vnum, & anima vna: duo strenuè amici dicuntur Hispanè *vna anima; vna alma.* Ex vnione hypostatica sola non posse inferri vnionem ad actus intellectus & voluntatis, satis ostendi disp. 47. Nec satis miror Hugonem non animaduertisse, ex ea opinione inferri Incarnationem totius Trinitatis: quia vnio fieret ad absolutum. Nihil respondeat, quod alij de existentia, substantia, & sanctitate; eam vnionem esse prout in Verbo; non verò in scientia absolute, & secundum se.

S E-